

bat? cui cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam  
 nupsisses, cur tibi Coelius tam conjunctus fuit? cognatus? affi-  
 nis? viri tui familiaris? nihil horum. Quid igitur fuit nisi que-  
 dam temeritas ac libido? nonne te, si nostra imagines viriles  
 non commovebant, ne progenies quidem mea & illa Claudia  
 amulum domestica laudis in gloria muliebri esse admonebat?  
 Non virgo illa Vestalis Claudia, qua patrem complexa trium-  
 phantem ab inimico Tribuno plebis de curru detrahi passa non  
 est? Cur te fraterna vitia potius, quam bona paterna & avita,  
 & usque à nobis cum viris, tum etiam in foeminis repetita,  
 moverunt? Ideone ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum  
 turpissimorum quotidie foedera feries? Ideo aquam adduxi, ut  
 ea tu incoeste uterere? Ideo viam munivi, ut eam tu alienis  
 visis comitata celebrares? Sed quid ego (judices) ita gravem  
 personam induxi? ut & verear, ne seidem Appius repente con-  
 vertat, & Coelium incipiat accusare illa sua gravitate cen-  
 soria.

*Æneid. 1. Dividit, & dictis mœrentia pectora mulcet:*

*O socii (neque enim ignari sumus antè malorum)*

*O passi graviora! dabit Deus his quoque finem.*

*Vos & Scyllaeum rabiem, penitusq; sonantes*

*Accessis scopulos: vos & Cyclopeia saxa*

*Experti: revocate animos, mœstumq; timorem*

*Mittite: forsàn & hæc olim meminisse juvabit.*

*Per varios casus, per tot discrimina rerum*

*Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas*

*Ostendunt: illic fas regna resurgere Troia.*

*Durate, & vosmet rebus servate secundis.*

*Talia voce refert curisq; ingentibus ager;*

*Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.*

*In Catil. Si te parentes timerent atq; odissent tui, neq; illos  
 ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquò  
 concederes: nunc te patria, qua communis est omnium nostrum  
 parens, odit ac metuit, & jam diu de te nihil judicat, nisi de  
 parricidio suo cogitare? hujus tu neq; auctoritatem verebare?  
 neque judicium sequere? neque vim pertimesces? Qua tecum,  
 Catilina, sic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum*

*H S jam*